



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

LXXII. Markgraf Otto vereignet der Kirche zu Lebus Frauendorf und
Pamyzin, am 23. Februar 1367.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55508)

LXXII. Markgraf Otto verzeiget der Kirche zu Lebus Frauendorf und Pamezyn,
am 23. Februar 1367.

In nomine Domini Amen. Quoniam, que sunt in tempore, ipsa ut plurimum que mater existat erroris, tollit obliuio, nisi literarum testimonio intuentium memoriis fuerint diligencius commendata, hinc est, quod nos Otto, dei gracia Brandenburgensis et Lusacie Marchio, sacri Romani imperii Archikamerarius, Comes Palatinus Rheni et Bauarie Dux, ad animam renocantes, quantam ecclesia Lubucensis huc usque molestiam passa sit et jacturas, diuini cultus ob augmentum, nostre quoque et predecessorum nostrorum felicis recordationis Marchionum Brandenburgensium animarum remedium sempiternum, honorabilibus viris preposito, decano totique capitulo ecclesie Lubucensis predicte dedimus, damus quoque mera et libera voluntate, iusto proprietatis titulo presentibus appropriando donamus proprietatem ville Vrouwendorff prope Oderam Lubucensis diocesis cum allodio siue campo Pamezyn cum omni proprietate et dominio, cum iudicio supremo et infimo, cum precaria ac seruicio curruum et quouis alio genere seruitutis cuiuscunque cum iure patronatus, cum mansis, agris cultis et incultis, cum omnibus suis iuribus, censibus, pactis, precariis, fructibus, usufructibus, cum iure Schultecie, cum molendinis et molendinorum aquis, aqueductibus, riuolis, stagnis, piscinis, — utilitatibus prefatis ville Vrouwendorff et allodio Pamezyn ex iure, consuetudine vel ex debito pertinentibus ex antiquo, cum quibus dictorum bonorum venditores, videlicet Henricus, custos Glagouiensis, Jenikinus, miles, Fredericus et Otto, fratres, dicti Sak, et ipsorum progenitores hactenus bona tenuerunt prenotata, que etiam cum omnibus redditibus, libertatibus et iuribus uniuersis prefati prepositus, decanus et capitulum ecclesie memorate a predictis venditoribus pro parata sua pecunia rite et rationabiliter comparauerunt, et ipsi venditores in nostri ac totius consilii nostri presentia animo deliberato sponte ac libere resignarunt omnia et singula premissa donacionis et appropriacionis per nos, ut premititur, sic facte nunquam consensus efficacia et vigore habenda, tenenda et fruenda perpetuis quoque temporibus sine quouis nostra, heredum, successorum et officiorum nostrorum quorumlibet fatiga molestacione et inquietacione, ea quoque libertate et tuitione, quibus et alia ejusdem ecclesie bona tenent et tenebunt, pacifice possidenda, promittentes pro nobis, nostris heredibus et successoribus, quod prepositum, decanum totumque capitulum antedictum in hac gracia et dictorum bonorum et reddituum pacifica possessione per nos et nostros officiatos, qui nunc vel pro tempore fuerint, quibus id ipsam ex nunc pro ut ex tunc gracia nostre sub obtentu presentibus damus firmiter in mandatis, tueri, defendere debemus et volumus conseruare. Renunciantes nichilominus in premissis omni iuri, actioni et impetitioni, quod vel que nobis, heredibus et successoribus nostris in dicte ville Vrouwendorff et allodii Pamezyn et omnium premissorum proprietate competebant seu quomodolibet competere potuerunt in futurum. In cuius rei euidentiam plenioris presentis sigilli nostri appensione fecimus roborari. Testes hujus sunt nobiles Henricus ac Guntherus Comites de Swarzburg, Domini in Arnstete et in Sundershufen, Alabertus Comes de Lindow ac strenui Johannes de Rochou, Hermannus de Wulkou, milites, Cuntzko de Stiuen, curie nostre Magister, ac Mathias de Bredow cum pluribus aliis fide dignis. Datum Spandow, anno domini Millesimo trecentesimo sexagesimo septimo, feria tertia post Dominicam Exurge.

Gercken's Cod. VI, 548, wo statt Pamezyn irrthümlich Pannezyn gelesen ist.